GREGORIUS MAGNUS
Admont (?), 12. Jh. Seite 60v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26137
Copyright: Admont, Benediktinerstift



diuinis uocibus difficultas audiendi repetitur ut dicatur: si
forte audiant. quid aliud quam transmigrati populi duritia de
signatur. In quibus uerbis magna est nostra consolatio. quia si omnipotens
deus prophetam mittens a perusso populo uerba sua denuntiat difficile
audiri. cur nos miseri contristamur. cum sepe a fratribus in nostra am
monitione contemnimur. Nam crebro delinquentes alloquimur.
frequenter increpamus. sepe cum eis blandis sermonibus agimus. et tamen
si alter audit. alter audire contempnit. alter ex parte uerbum exhor
tacionis suscipit. et ex parte recipere recusat. ita ut cotidie
impleri uideamus. hoc quod per prophetam alium dominus narrat. que fecit ira
tus cum dicit. Pluuia super ciuitatem unam. et super alteram non pluuia.
Pars una conpluta est. et pars que conpluta non est aruit. Cum enim
sancte exhortacionis uerba alia mens suscipit. alia suscipere recusat.
super unam ciuitatem dominus pluit. et super alteram non pluit. Cum uero et
ipse qui proximos audit. ab aliis se uitiis corrigit. atque ab aliis
emendare contempnit. una eademque ciuitas ex parte conpluitur.
et ex parte arida remanet. in qua a se predicationis pluuiam
repellit. Sunt et enim quidam qui exhortacionis uerba omnino
non audiunt. hi penitus suscipere pluuiam nolunt. et sunt quidam
qui audiunt. sed hanc tamen medullitus non secuntur. quia alia a
se uitia resecant. sed in aliis grauiter perdurant. Sepe enim quos
dam uidemus qui per predicationis uerbum a semetipsis auaritie
estum repellunt. et non solum iam aliena non rapiunt. sed et propria
indigentibus largiuntur. nec tamen ire stimulos edomant. nec pa
cientie moderamina per mentis tranquillitatem seruant. Et sepe
alii ad exhortacionis uerbum in semetipsis iam carnis in mun
diciam uincunt. corporis castitatem custodiunt. nec tamen ad
huc animos sicut debent proximis inclinant. sed per rigorem super
bie in cogitacione se eleuant. in istis pars una conpluta
est. quia fructum fecit. et pars una que conpluta non est aruit.
quia exhortacionis uerbum non plene suscipiens. a bono opere
sterilis remansit. Sequitur. Et assumpsit me spiritus. et audiui